

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Lexicon Graecolatinum Novvm

**Scapula, Johannes
Zwinger, Jacob**


Basileae, 1628

Lectoribvs graecae linguae studiosis

[urn:nbn:de:bsz:31-107465](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-107465)



LECTORIBVS
GRÆCÆ LINGVÆ
STVDIOSIS S. D.



DVABVS potissimum de causis, vt mihi quidem videtur, plerique Græcarum literarum studium aspernantur, aut certè segnius amplectuntur. Vna est, quòd earum præstantiam & vtilitatem non satis perspectam habeant. Verissimè enim cecinit poëta, *—ignori nulla cupido.* Quum autem earum laudes à multis decantatæ circumferantur, hoc vnum dicam quod omnino persuasum esse debet, absque Græcæ linguæ peritia saltem mediocri doctum haberi posse neminem, quantamcunque in aliis rebus eruditionem fuerit consecutus. Nulla enim est ars, nulla scientia, quæ illius adminiculo carere possit. Altera est, quòd Græca lingua permultis longa, salebrosa, ac difficilis ad discendum videatur. Nam quum vitæ huius curriculum Deus opt. max. breuissimis terminis circumscripserit, facile ab earum rerum studio absterrentur adolescentes, quas non nisi multo labore longoque temporis interuallo percipi posse arbitrantur: vt ad ea, quæ minus difficultatis præ se ferunt, minùsque temporis requirunt, animum adiciant. Hinc illa liberalium artium & disciplinarum compendia emanarunt, quæ studiosis non solum vtilia, sed etiam necessaria esse docti semper iudicauerunt. Quum igitur prolixitatis prætextu multorum adolescentum animos, ab huius linguæ tam eximia, tam vtilis, nam necessariæ studio, deterritos fuisse atque etiamnum deterreri constet: operæ precium me facturum existimaui, si eam (contra vulgarem illorum opinionem à quibus immensa atque inexhausta esse prædicatur) tum breuem tum facilem esse demonstrare conarer. Ad quod efficiendum, quum nulla compendiosior neque expeditior via occurrisset, omnes eiusdem originis voces, quæ in superioribus Lexicis alphabetico ordine scriptis sparsim leguntur, in vnum veluti fasciculum congressi: primariæ tanquam basi ac radici cæterarum primum locum assignaui: huic reliquas inde ortas primò simplices, deinde compositas certo ordine digestas subiunxi. Hoc enim pacto futurum speraui, non solum vt singulis (quæ tanquam membra hinc inde dispersa atque dissipata cernebantur) suo loco collocatis, integrum corpus representaretur, quod vno intuitu cerni posset, sed etiam vt primitiuorum, in quibus intelligendis omnis aut certè præcipua versatur difficultas, exiguum esse numerum cuius pateret. Primitiuorum enim propria & natia significatione cognita, deriuatorum quantocunque fuerint numero significationes assequi quam non sit difficile, nemo ignorat: siquidem deriuata suorum primitiuorum vim sequi, composita suorum sim-

AD GRÆCÆ LINGVÆ

plicium significationem retinere solent: non secus ac liberi parentum ex quibus progeniti sunt, ingenium referre, riui fontium ex quibus scaturiunt, proprietatem resipere, surculi stirpium, & radicum ex quibus pullulant, naturam seruare consueuerunt Singula autem ad suum primitiuum ita reuocauit, vt interim quæ remotiori ratione ab eo deducuntur, illic indicata tantum sua serie tractanda reseruauerim. Nam quum ex his plurima multiplicem ac diuersam sortiantur originem, sæpè numero dubium incertumque est quò potius referri debeant. Varia enim sunt hominum iudicia, verissimumque illud est, quod vulgò iactari solet, quot capita, tot sententiæ: adeoque quotidiana experientia testatur tam varium & mutabile esse vnus eiusdemque hominis iudicium vt quod modò probârît, id ipsum mox improbet, & contrâ. Multa etiam sunt quorum etymon licet vnicum afferatur, ab aliis recipitur, ab aliis verò repudiatur. malui autem suum cuique iudicium liberum relinquere, quàm audaciùs quidquam pronunciare. Etyma verò ex optimis quibusque scriptoribus desumpta adscripsi, non quidem quæcunque inueniri potuerunt (quum ex iis non pauca sine dubio sint futilia & ridicula) sed quæ rationi magis consentanea visa sunt: cuiusmodi etiam nonnulla adieci, de quibus penes alios erit iudicium. Qua in re eò audacior fui, quòd pleraque ex iis quæ à me profecta esse putabam, ab aliis iam annotata postea animaduertèrim. Enimuerò idem nobis faciendum arbitror, quod antiquos illos Platonem, Aristotelem, Plutarchum, & alios clarissimos viros fecisse videmus, qui vocum origines diligenter inuestigârunt, & ex nominis notatione veritatem rerum scrutati sunt. Refert A. Gellius Labeonem Antistium Latinarum vocum origines rationesque perculluisse, eaque scientia ad enodandos plerosque iuris laqueos vsus fuisse. At quisquis Græcarum dictionum origines rationesque perculluerit, haud dubiè ea scientia instructus plerosque nodos, qui apud probatos autores passim occurrunt, enodabit: errores plurimos præsertim ex cacographia natos emendabit: de propria cuiusque vocis significatione rectè iudicabit. Quamuis autem illi plurima etyma solerter excogitata tradiderint, minimè tamen dubium est, quin multa posteris inuestiganda reliquerint.

Primam sedem interdum nomini, interdum verbo minus scrupulosè assignaui: sequutus ordinem qui mihi in quaque classe visus est commodior & facilior.

Nonnunquam deriuata in duas pluresve classes pro diuersa primitiui significatione distinxit: vbi tamen obseruandum est vnum idemque deriuatum aliquando vt singulis classibus adscribi, prout ad diuersas significationes extenditur: vt videre licet in Ἀρρεα, in Ἀρρε, in Αἰτια, in Ἀλς, in Ἀπῶ, in Ἀρχη, in Κηδος, in Κλειω, & aliis nonnullis.

Composita à suis simplicibus seiuncta iuxta seriem alphabeti collocaui, eaque pro variis formis in varias itidem classes distribui.

Inter composita ea tantum adscribere placuit in quibus primitiuum, cuius tractatio præcessit, vltimum locum occupat, ne eadem sæpius iterarentur.

Multa superflua, multa νότα καὶ κίβδηλα, quæ Lexicis perperam intrusa sunt, rescidi: & peregrina & barbara non pauca, (qualia sunt Hebraica aut Syriaca ἀδάρ, ἀρραβῶν, γέννα, πάρα, σίκερα, σίκλος, ἑβραίων, ἑβραίων: item Latina, vt ἀρτεμις artemo, ἀσάριον assarius, ἀλιζ alica, δέκοκτα decocta, δηνάριον denarium, δικτάτωρ dictator, ἐγεστα egesta, εἰδί idus, ἴστος iustus, κἀκελος cancellus, κεντυρίων centurio, κέντρον census, κοδράτης quadrans, κολωνία colonia, κεντροδία custodia, λεγίων legio, λέντιον linteum, λιβερτίνος libertinus, μακάλλον macellum, μέλις melca, μεμβρανα, μύδιος

L E C T O R E M.

na, μῶδιος modius, μῶστον mustum, νοτάριος notarius, νόμισμα nummus, ἑξήτης ἑξήτης sex-
tarius, vnde ἡμιἑξήτης semifextarius, ὄξυγιον axungia, ὄνκια vncia, παρακίχια vel παρ-
κίχια praecocia, πρῆπτερον vel πρῆπτερον pratorium, πρῆμειον pomerium, ῥῆμος re-
mus, ῥέδα rheda, ῥαξίφραγον saxifragum, σικαέριος sicarius, σιμικίνθιον semicinctium,
σφιδάειον sudarium, σπικράτωρ speculator, σὺβλα subula, ταβερνίου tabellio, ταβερνίον
taberna, τραβέα trabea, τρακτός tractus, τίτλος titulus, τεσσάρα tessera, φέκλον
fex, φενετίλλα fenestella, φενόλην penula, φόρον forum, φραγμίον seu φραγμίον flagel-
lum, φραγμίον flagellare) hæc, inquam, non nisi à recentioribus Græcis vsurpa-
ta qui ea à Romanis sumpserunt, exclusi. Hebraica enim ab Hebræis, Latina à
Latinis dictionariis non à Græcis petenda esse duxi. Ex his tamen omnibus non
nulla in suam seriem irreplisse deprehenduntur.

Hominum & locorum propria (nisi quum fiunt appellatiua) non adscripsi:
quòd peculiare de iis extant libri. Verbalia à prateritis passiuis formata (quo-
rum quæ à prima singulari fiunt, vel in μα, vel in μων, vel in μες desinunt: quæ à
secunda, vel in ις, vel in ία præcedente σ, aut ξ, aut ↓: quæ à tertia, vel in τες, ἄχες,
vel in τος, vel in τειον, vel in τειν finiuunt) verbis passiuis proximè subiunxi; vt for-
mationis ratio melius appareret.

In hoc autem opere absoluedo quum plurimum temporis contriuissem (re-
morante me partim operis ipsius prolixitate, partim functione mea, partim de-
nique priuatis occupationibus) incidi fortè in thesaurum ab Henr. Steph. con-
structum: cuius sola inscriptione lecta, existimaui me actum egisse. verum quum
thesaurum illum penitus introspectum, præter alia multa à meo consilio discre-
pantia, diuerso etiam ab eo quem secutus fueram ordine scriptum fuisse, re ipsa
cognouissem, idque amicorum oculis subiicissem, eorum iudicio fretus, multif-
que rationibus adductus hæc tandem in lucem prodire permisi. At verò ne the-
sauri illius Herculeo sanè labore compositi autorem bene de literis meritum de-
bita laude fraudare, aut me alienis plumis venditare videar: quid illi acceptum
feram, fateri non grauabor. Quum enim in eo thesauro tanquam in penu locu-
pletissimo dictionum vim & proprietatem melius exprimi, significationes di-
stinctius collocari, pluribus aptioribusque exemplis confirmari, diuersas con-
structiones diligentius obseruari, denique quæ tum veteres tum recentiores le-
xicographi, scholiastæ, grammatici, & alij in Græcæ linguæ cognitione excel-
lentes viri, ad hoc argumentum pertinentia scripserunt, plenius contineri & ac-
curatiùs quàm in superioribus Lexicis collecta exhiberi comperissem, ea inde
potissimum deprompta meo instituto accommodaui, consultis iis quoque au-
thorib. ex quibus illa in thesaurum fuerunt relata, paucissima ex plurimis exem-
pla selegi: loquendi formulas non nisi magis necessarias apposui, ne liber in ni-
miam molem excrescens lectori tædium afferret, emptoremve pretij magnitu-
dine deterreret. Sic autem in eo thesauro multa vocabula adiecta sunt quæ in
aliis Lexicis desiderantur: ita etiam non pauca testimonio munita huc accessisse,
si quis collationem instituat, sæpius deprehendet: atque adedò quamplurima ab
iis qui diurna nocturnaque manu versant exemplaria Græca quotidie adici pos-
se non est dissimulandum: præsertim verò ex compositis, in quorum numero,
vtpote penè infinito, sitæ sunt illæ Græcorum diuitiæ tantopere iactatæ: verum
de eorum significatione, quantocunque agimine inueniantur, ex aliis eiusdem
formæ compositis, quæ satis numerosè hic inserta sunt, quum non solùm iudica-
re, sed etiam (quod semper licuit semperque licebit) innumera ad eandem for-

AD GRÆCÆ LINGVÆ LECT.

nam fingere & in vsum proferre cuius in Græcis authorib. vel mediocriter ver-
fato facile sit, non est quod ea quisquam cum studiorum suorum detrimento
hinc abesse putet.

Quoniam porrò propositum initio mihi fuerat, primitiua cum simplicibus
deriuatis ordine alphabetico disponere: ideo deriuata à primitiuis recedentia
(quod ad initiales literas attinet) nec non obscuriora quædam composita dua-
bus lineolis iuxta eorum seriem inclusi, arbitratus quamlibet vocem à quolibet
reperitum iri: simplicem quidem aut suo loco, aut in illis de quibus dixi lineis:
compositam verò in simplici, considerata posteriore eius parte, atque ideo ter-
minationes compositorum in quibus simplicia non ita facile apparerent, pecu-
liari indici inserere decreueram. Verùm ab amicis monitus me hoc compendio
tyronibus non satisfacturum, alium indicem ita construxi. Dictionibus alpha-
betica serie dispositis, primitiuas maiusculis literis descripsi: deriuatas idem lite-
rarum initium habentes, & primitiuum suum proximè vel præcedentes vel se-
quentes, in suo primitiuo quærendas esse ostendi, adiectis his vocibus, cum *deri-
uatis*. Exempli gratia: quum ἀγάρφα, ἀγάρφον, ἀγάρφτης, ἀγάρφω, ἀγάρφος sese in
sua serie proximè sequantur, eorum primitiuum ΑΓΓΑΡΟΣ solum adscripsi,
addito, cum *deriuatis*: reliqua ibidem quærenda esse indicans. Sic φιλοσοφία, φιλο-
σοφία, φιλοσοφία, φιλοσοφία, φιλοσοφία, quæ initiales literas & syllabas similes ha-
bent, in suo primitiuo φιλόσοφος simili ratione notato inueniri inuio. Voces
etiam non paucas in eodem indice explicauit, partim obliuione, partim aliis de
causis prætermittas. Dictiones per dialectum aliquam à communi vsu defle-
ctentes, quæ poetis sunt familiares, (necnon inter solutæ orationis scriptores,
Herodoto & Hippocrati Ionica dialecto uti solitis) indicabit tractatus de diale-
ctis, ut eas hic annotare non fuerit necesse. Quæ habent duplex σ aut duplex τ,
alterutro duntaxat modo scripta inuenientur. Quæ verò Attico more ξ pro σ
habent, cum σ scripta quærentur.

Hæc sunt de quibus vos, candidi Lectores, admonendos esse existimaui: ut &
scopum mihi propositum & methodum à me seruatum intelligeretis, ac proinde
minore cum molestia in hoc opere versari possentis: ex quo si quid opis & adiu-
menti vestris studiis accedere sensero, me suscepti laboris, quidquid molestiæ &
tædij attulerit, nequaquam pœnitebit, vos autem Deo omnium bonorum autori
gratias mecum agetis. Quæ verò oscitanter aut perperam scripta offendetis (præ-
ter ea quæ in calce Operis notata sunt) eorum veniam me à vobis impetraturum

spero, si errare humanum esse cogitaueritis: si quamuis tenues & perexiguæ
sint vires iuuandi studium mihi non defuisse vobis persuaseritis: si de-

nique temporis & otij in hisce perficiendis demensi breuitatem
cognoueritis. Non enim quod volumus id possumus,

neque quod possumus id per otium præstare

semper licet. Valete.

IN IOAN-